UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Olim Primarij Theologiæ Professoris emeriti, Opvs De Triplici Virtvte Theologica, Fide, Spe, Et ...

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1622

Benevolo Lectori.

urn:nbn:de:hbz:466:1-93448

Visual Library

BENEVOLO LECTORI.

QVOD breuiores solito sequentes de Spe, & Charitate tractatus in lucem prodeant, illud imprimis (lector beneuole) in causa fuit, quòd schola ipsa, cui Soarius Romæ præerat per id tempus quo hæc prælegerat, fusas late ac laciniosas commentationes fastidierit, eaque propter illius se legibus, ac votis (qui ingenui Doctoris candor erat) facilè demiserit. Præterea quod nõ pauca, de Charitate præsertim, tradi solita consultus præterierit, quoniam ea vel omninò vel potissimum in gratiam conueniant, quam Soarius à Charitate distinctam esse probabilius opinatur libro 6. eius operis, cap. 12. Eiusmodi sunt quæ de entitate Charitatis supernaturali, de habitus productione, augmento, & corruptione, de vi sanctificandi, ac merendi latè explicantur in eodem opere, ac nonnulla ex parte in Relectione de reuuiscentia meritorum sect. 3. Hæc ergo vniuersa gratia ipsa, quæ charitatem natura sua antecedit, priore iure postulabat, quæ si lector hic fortasse desideret, ex monstratis locis abunde suppeditabuntur. Nec quia huiusmodi tractatus, cum aliis, quos iam Author prælo dedit collati, angustiores euaserint, ab illius vel ingenio quidquam vel iudicio discordant. Imò illud audentes asserimus, in hac breui scribendi methodo, eum non solum sibi ipsi parem, sed videri etiam aliqua ex parte superiorem. Nam illius profundi ingenij, acerrimique iudicij discursus, & rationum momenta, quæ aliis in operibus fæliciter dilatantur, hic in angustum coacta, & faciliùs comprehenduntur, nec minori cum efficacia cõcludunt, adeo quicquid in illis est, succus est & sanguis, quod vel ipse (Beneuole lector) experimento edoctus tandem, vt spero, comprobabis, cui non erit difficile ex ipsa huius operis cum reliquis consensione, ordine, methodo, authorem vtrorumque diuinare ac tanquam ex vnguibus Leonem agnoscere, quod vt promptum sit vel iis, qui non adeo Soarij monumenta versauerint, ad marginem harum de Spe, & Charitate disputationum indicamus, quæ alibi vel eadem, vel affinia vberiùs ab ipso differantur. Ita enim fiet vt ipse sibi Author opem ferat vbi, sibi opus esse videri posset, nullo aliunde auxilio quæsito.

ELENCHVS DISPVTATIONVM, TRACTATVS SECVNDI DE SPE.

Disput. 1. Speculatiua de virtute Spei continens Sectiones octo.
Sect. 1. Quod sit obiectum materiale Spei.
Sect. 2. Vtrum formale obiectum spei sit bonum sub ratione boni: eiusq; actus sit voluntatis, non intellectus, & quomodo à Fide distinguatur.
Sect. 3. Quod bonum, & sub qua ratione sit obiectum formale spei, & per quos actus tendat in illud, ac adeo quomodo Spes distinguatur à Charitate.
Sect. 4. An spes eliciat non solùm actus tendentes in bonum, sed etiam actum timoris, & alios quibus malum fugimus.
Sect. 5. An operari intuitu æternæ retributionis sit actus Spei honestus.
Sect. 6. In quo gradu perfectionis sit Spes.
Sect. 7. De ordine generationis Spei.
Sect. 8. De duratione, & corruptione Spei.

Disput. 2. Moralis de Spe continens sectiones tres.
Sect. 1. Quæ mandentur præcepta de Spe.
Sect. 2. An Desperatio sit actus Spei contrarius, & eius præcepto prohibitus.
Sect. 3. An præsumptio sit actus spei contrarius.